Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38173
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek



35

hoc nunc os ex ossibus meis. &c. Vocaut ergo
uxorem suam uir tamquam potior inferiorem &c dix.
hoc os ex ossibus meis. &c. Os de ossibus meis
fortasse propter fortitudinem. &c. caro de carne. propter
temperantiam. Haec namque duae uirtutes ad in-
feriorem animae partem. qua prudentia rationa-
lis regit docentur pertinere allegoricae. Haec uo-
cabitur uirago. In quibusdam codicibus inuenitur
haec uocabitur mulier. non enim uidetur In greco &c in la
tino resonare cur mulier appellatur quia ex uiro
sumpta sit. Sed &c hymologia In hebreo sermone seruat.
Uir quippe uocatur is. &c mulier issa. Recte igitur
ab is appellata est mulier issa. &c hoc est. quod hic ait.
Haec uocabitur uirago. quoniam de uiro sumpta est. quam
ob rem relinquet homo patrem suum &c matrem suam
&c adherebit uxori suae. &c. Hic primum adam
prophetauit de xpo &c ecclesia. quod exemplum exponens
paulus apostolus ait. mysterium hoc magnum est. ego autem
in quam dico in xpo &c ecclesia. quod si quis spiritaliter
nosse desiderat. augustini &c isidori dicta strenue
legat. Bene ait In carne una. hoc est. In una uo
luntate &c consensu. seu quia ex duobus una caro
procreatur In prole. Erat autem uterque nudi. adam